PANEGYRICVS IN LAVDEM

SERENISSIMI PRINCIPIS

GVSTAVI ADOLPHI SVECORVM GOTHORVM ET VANDALORVM REGIS.

Authore

ELIA DENVKROIS.



Augustæ Trinobantum.

ANNO DOMINI M. DC. XXIX.



Viro Perilluſtri Domino

AXELIO ab OXEN-STIERN REGNI SVECIÆ CANCELLARIO,

Author Salutem.

Anegyricus, quem in laudem Sereniſſimi Suecorum Regis de Boruſſia glorioſè triumphantis ſcripſi, ad te properat, Vir illuſtris, vix me mittente. Nimirum vt per eius humanitatem accedat facilius, per cuius ille prudentiam vincit feliciùs. Hunc vt admittas, non videris mihi magnopere rogandus ipſum panegyrici nomen, quos eloquentiſſimi quiq; ſcribere conſueuerunt, facile ſe apud eloquentiæ oraculum inſinuabit. monendus tantùm eò vehementius es mihi ne fallaris, dum hîc ſimile quidpiam expectas, & vel Demoſthenis, vel Plinianam, vel tuam (maiorem cogitare nequeo) facundiam te putes viſurum.

ſurum. Congerant alii verborum cultum in illorum Principum laudes, quorum tranſacta per ocium & deſidiam vita nequit aliter quam eloquentiæ tumore velari. Satis ego eſſe ad laudandum Suecorum Regem exiſtimaui, ſi martia illius facinora breuiſſimè & quaſi in indice prcponerem. Quod ſi quædam attigi, quæ fortaſſis alii ſilentio prætereunda iudicaſſent, malui ea ſinceris indiciis quàm iniquitate famæ omnia in maius & peius attollentis vulgari. Cogitabam vt in pictura decorem luminis vmbra commendat, ita non parum ad veræ laudis fidem facturum, ſi illa quoq; non reticerem; quæ alias omitterent adulaturi. Alia minus clarè innui, non vt obſcuriùs loquendo non intelligerer, quod aſſequi magis tacendo potuiſſem, ſed ne odium accerſerem meritis gratiam. Hæc mei ratio inſtituti. Tu vale Vir illuſtris, & tenue hoc meum gratulantis animi obſequium Regi offer. Londini pridie Idus Ianuarii Anno 1628.

Non



NOn debes mirari, Fortissime Regum, quod nunc primùm tibi post secundam iam in Prussia exactam æstatem feliciter reduci gradulari exorsus sum, quasi aut à Megaloburgensis militis amissione, aut Pucensis Meuensisq; arcium deditione, aut ab eluso in oppugnandis hostium castris ingenti conatu tuo tua gloria cæperit! Vetuit antea cum aduentantis tuæ potentiæ inaudita celeritas, tùm contra immensa Polonorum castra imperterrita perseuerantia, vt te Hominem crederemus: Numina etiam, si miranda patrent, non ideò solemus gratulatione venerari. Quis enimuerò in homines cadere potuisse facilè credidisset, siue tam portentosam fortitudinem, ad cuius nec dum bene ostentata arma munitissimæ ciuitates, propugnacula, arces, terræ, gentes, omnia, paterent: siue tam ignauam perfidiam, quæ ne emisso quidem in aera tormentorum officioso fumo proditionem coloraret! Insitatarum igitur rerum aspectu perculsis & tam prodigiosi certaminis expectatione suspensis vocem admiratio suppresserat. nunc postquam attonitam mentem & linguam mora restituit, & te hominem vulnera docuerunt, neque diuinis iam acquisita viribus iudicemus, quorum aliqua erepta iterum tibi humanis videmus; nescit mens amplius, diuturnum indignata silentium intra pectoris arcana exundantis lætitiæ coercere affectum, sed ad te protinus accurrit gratulabunda. Et quantumuis tenuitatis suæ conscia, superbit tamen de facundia, gnara ipsam etiam iam suam dicendi infantiam non posse non eloquentem esse in tuis, hoc est, eius principis laudibus, cuius si gesta recenseat, narrauit triumphos. Venisti enim in Prussiam tantâ celeritate, vt præter naturæ ingenium non aduentum fama, sed famam facta præueni-

rent, anteque occupaſſe te Prouinciam audiremus quam intraſſe. Non expectaſti vt aliena arma Regnum inuadentia tuum bellandi imponerent neceſſitatem. Detrahit virtuti virtutis neceſſitas. Vltro metum inferre hoſti, & abs te remoto periculo alium in diſcrimen adducere voluiſti, ratus maiorem eſſe gloriam vim inferentis quam arcentis, multumque differre, alienos populere fines, an vaſtari tuos videas. Neque vbi fortitudinis edere ſpecimen decretum tibi fuit Regulum aliquem aut Principem puerum aggreſſus es, quem vel imparem potentia opprimere, vel imprudentem conſilio euertere non foret operoſum; ſed illum Regem, cuius non incapaci animo multam prudentiam vices rerum & diuturna regnandi experientia impreſſerat, cuius ditiones victoriarum feraces fama vt inuictas celebrarat, illum Regem, cui vel ad æternitatem nominis ſuffeciſſet tam effrenem atque turbulentam nationem XL. annis pari fortitudinis & prudentiæ temperamento rexiſſe. Patere Rex hoſtem laudare. Tua enim intereſt quam maximum eſſe quem vincis vel exæquas. Sciebas mortem à natura omnibus æqualem ſola apud poſteros obliuione vel gloria diſtingui. Gloriam ergo quæſiuiſti, bellare voluiſti, hoſtem circumſpexiſti, Regem elegiſti (ibit fama in ſæcula tantam tuam in eligendo hoſte ſolertiam commendatura poſteritati) de quo quomodocunque etiam fortuna inſaniret, non poſſes niſi gloriosiſſime ſiue triumphare ſiue perire. Siue enim vinceres, famam tuam omnium Principum ac populorum admiratione conſecrandam ſciebas: ſiue caderes, non admodum indecoram fore ab eo Rege profectam mortem præuidebas, à quo vitam non pridem Turcarum monarcha ingloria pacis emendicatione redemit. Regem ergo aggreſſus es inquam, cui Turca ſupplicat, quem Tartarus timet, quem Moſchus adorat, quem mundus ſuſpicit.

Intau-

In tauros Libyæ ruunt leones, non ſunt papilionibus moleſti.

Mirabatur orbis cum ante aliquot annos relatum eſſet, te florentiſſimam Polonicarum Prouinciarum Liuoniam armis infeſtauiſſe, audebatque id adſcribere temeritati; ſed quod in aliis temeritas, in te prudentiæ eſſe ſucceſſus felicitate docuiſti. Videbas quidem te potentiſſimo Regi & bellicoſiſſimæ nationi bellum inferre, ſed ab illius celſitudine tuam quoque penſandam gloriam cogitabas, & virtutem inter ancipitia clareſcere. Cognoſcendos itaque primum putaſti mores & genium gentis, regionum ſitus, opportunitates locorum. Deprehendiſti gentem campis, haſtis, equis, corpore validam, ſed & arrogantia inſignem, ſeditionibus facilem, rebellione famoſam, neſciam quietis, ipſaque ſua potentia grauem, gentem contemnendis quam cauendis hoſtibus meliorem & quæ imperata Regum interpretationibus vexare mallet quam dare executioni. Aduertiſtì nihil tuæ Sueciæ à tali populo quantumcunque laceſſito timendum fore, qui ſtatutis cauiſſet, ne aliorum exemplo inopinatis armis vllam ditionem aut Principem inuadere poſſit, ſed ambitioſo prius congregantis ſe ſe Nobilitatis tumultu vicinis, remotioribus typis etiam quid facere velit denunciet. Didiceras à Gallo illo Polonos fraudibus magis quam vi patere. Igitur occaſione temporis vſus, cum Turcarum Imperator ſuam in illos potentiam effunderet, tu ex alia parte Liuoniam aggreſſus es, & ne occupatos tantum Othomanicis ſignis, ſed & ſecuros circumuenires, ipſe nouas inducias poſcebas, per Iacobum Angliæ Regem quietem promittebas, ſubmiſſa ab eodem auxilia in Dania impediebas. Ita hoſtilem ingreſſus Prouinciam & nihil minus quam te timentem Rigam imprimis munitiſſimam ciuitatem eamque principem non proditione ciuium, ſed vi armorum in tuam poteſtatem redegiſti; cumq; lenta

aduer-

aduerteres vicinorum auxilia, auolasse Lithuaniæ gryphes, primo de Duce contendi, militarem virum ob natam heri familiam reiici, fulcibundum senem in Imperatorem eligi, Comitia prius indici, agendique tempora consultando consumi, tu totam Prouinciam subegisti. Clament sanè te fraudibus egisse. Non ideo aquam bibunt Hispani, quia vinum diluunt, neq; tu sanctitatem fortitudinis vtilissima doli mixtura polluisti sed temperasti. Et vero non fuit satis animo tuo claram tot arcibus Prouinciam secure possedisse. quærendi insuper hostes erant vt vincerentur. Ergo ingrata tibi omnis quies fuit, donec in Magnum Lithuaniæ Marescalcum incidisti, pugnasti, vicisti. Conabatur quidem Polonorum inuidia, tantæ victoriæ gloriam minuere, & nunc primo gentem suam distinguere, nunc culpam in imperitiam Ducis aciem arctantis referre, quasi aut Lithuanis ductoribus non paulo ante orientalium lunarum incendia extinxissent, aut nullus vnquam Curius ob angustum pugnæ locum à Romanis laudem retulisset! Sed neque hic tua se virtus continuit, nempe vnius regionis angustia Gustauianæ gloriæ non sufficit, faciendaq; longior fuit bellandi meta, vt fieret clarior vincentis gloria. Aperueras iam bello Lithuaniam, illaq; tantum ingrediunda fuerat, nî Prussiæ congestam tot ætatum pace opulentiam infecundiori solo prætulisses, vbi ex alienis diuitiis stipendia militi numerares, & post fugatos Lithuanos etiam illos, qui se ipsos adeo mirantur, Polonos eorumque decantatum robur experireris. Ardua res magnum consilium, ingentes apparatus, singularem dexteritatem, Martemque non inertem flagitabat. Ergo nihil propere nihil inconsulto agere decreuisti. pręmittebas longe ante idoneos viros, quorum alii locorum commoditatem curiose obseruarent, alii nonnullorum animos ingeniose aptarent. Nihil erat consiliis

tuis

tuis proſpectius nihil auxiliis tectius nihil armis paratius. Non latebat te quidem Prouinciam natura, opere, & arte egregie munitam, ſed neque ignorabas Boruſſiæ Ducalis incolas longa pace deſides, oblitam bellorum nobilitatem, ignaros militiæ Boiaros, nutantem iam pridem procerum fidem, & inſpectricis Poloniæ moleſtam poteſtatem. Sciebas vt omnium rerum, ita nimiæ etiam pacis ac tranquillitatis quoddam faſtidium eſſe, facilius quatuor viros quam totidem vrbes expugnari, vnum cognomine corrumpi poſſe, alterum ſubdiuiſis cum filio obſequiis tutius peccaturum, corallioru m quoque verecundiam ſaltem ex parte ad tui metalli fulgorem palleſcere poſſe ſperabas, in trunco demum verre debile noueras conſtrui fulcimentum, nec dubitabas tardos ex immani fiducia ſui Polonos celeritate interim etiam poſſe circumueniri. Notaueras præterea non obſcura vocantis te eiuſdem Pruſſiæ atque inuitantis indicia, dum quæ loqui non poterat, in ære exprimebat, moræque impatiens iam nomen duntaxat ſui Principis, tuam vero effigiem in moneta ſignabat. Ergo ne vel tua vel ipſorum deſideria diutius cruciarentur, præmeditatum diu iter tandem maturare iuſſiſti, & ſecundiſſimo vento (ipſa videlicet tibi ad famulatum ſubeunte natura) in Pilauienſis freti anguſtias appuliſti, Prouinciæque vtiliſſimam clauem, non tantum abſque ſanguine ſed etiam abſq; ſudore occupaſti: ſiue nauium militumque in præſidio locatorum manus & animos ſolus conſpectus tuus exarmarat, ſiue ipſa etiam negantia ignem belli inſtrumenta affines naues venerarentur. Quod ſi ex oriente aurora recte de futuro die ominamur, quid iam de tua virtute ſperandum non fuit in progreſſu quæ tam admirabilis extitit in exortu? Non intempeſtiuis deliberationibus conatibus tuis moras iniecit Pruſſiæ Ducalis ſingularis ſapientia; neque tu incitabas qui ſponte currebant, ſed ruentes pro-

uida neutralitate coercebas, memor te non ad eripiendum consanguineo Principi Ducatum, sed eundem, si res pateretur, è seruitute potius eximendũ venisse. Ad Regalem itaq; Prussiam quantocyus perrexisti, & vno fere eodemque tempore ornatissimas vrbes Brunsbergam, Elbingam, Marieburgum hosti eripuisti. Primæ quidem resistere conantis temeritas risu tantum te nõ armis fatigauit. Patentes alterius portas indignabundus intrasti; indoluisti nimirũ quod ad miraculum munita ciuitas, laudis tuæ suffurata materiẽ tibi fortitudinis experimentum non reliquisset: & ni vnicum adhuc Marieburgum menti occurrisset, in quo militaris tua potentia enitesceret, credo aliam nouamq; armis viam per altissimos ipsorum muros & valla fecisses, vt honorificentius intrares. Quanquã cõpensauerunt abunde Marieburgensiũ mœnia, quicquid gloriæ subtraxerant Elbingensium valla. ibi enim plane ostendisti nihil esse in orbe adeo inaccessũm, quod fortibus viris natura non aperuisset. Et sane non vsquam antea liberalius tecum fortuna egerat, quæ adeo copiosa laude Martium laborem tuum remunerata est, vt omnem etiam prætensionem vel hosti præciderit. Nam Elbingam ab incolis & nationis similitudine & puritate religionis tibi coniunctis emptam fuisse, saltem suspicari maleuolus quispiam tuæ virtutis ignarus potuisset. Marieburgum vero, quod etsi omni viuente destitutum ipsa tamen mœnium celsitudine & fossarum profunditate tutum videbatur, non Germanorum suspicionis capacium, sed Polonorum fidelissimo præsidio munitum, cum immortali tua fama, suspicientibus cunctis, nescio citius an facilius expugnasti. Iam admirandæ potentiæ tuæ terror terram impleuerat, neq; claudere iam portas oppida laborabant, stultumq; merito habebatur post Marieburgensem arcem vi adeptam de defendendo aliis cogitare. non arietare muros sed adire opus

erat

erat tibi,iuisse vicisse fuit. Quicquid ergo progrediendo attingere potuisti tibi cessit. Putzkum, Derschauia, Gudstadium, Varmia, Vormditum, Hela, Schöneckium, Meua, Starogardum & nisi hostilem Neoburgi exercitum inuenisses, quā propense à splendidissima Curia exceptus fuisses nihil magis quam distantiam suam dolente. Solos Gedanenses immanis superbia continuit, & recuperandæ aliquando Prouinciæ adhuc paululum spe Polonos sustentat. Sed & hos inopinata potentiæ tuę miracula adeo terruerant, vt qui iam ante quinquennium in Tractatibus trepidabant, nunc nondum te viso an fideles esse deberent prius in Senatu consultarent, inopesque plane consilii ac mentibus confusi, milites suos quorum inopia in ciuitate laborabant, ad pagos missitarent, credo vt Grebinenses anseres defenderent, inuestesque tuos pedites suo luxu & equis ornarent. alii quos singulari beneficio ita obstrinxeras vt & nunc soli cunctarũ rerum opulentia affluerent, & mitiore vocabulo ab omni periculo in futurum amoti censerentur, putabant ad neutralitatem quoq; pertinere insaniam, nimiaque pace & abundantia fessi sua iuuẽtute suis ciuib. tuas acies non rogati augebant, & nõ satis cito spaciosissima valla per longas ambages nescio cui commodo delineabant. Non auderem ego coram te de amica ciuitate hæc recensere, nisi ad Tuam gloriam pertineret, tantum fuisse virtutis splendorem tuæ, vt quemadmodum clariore solis radio nonnulli quandoque visu orbantur, ita immensus tuæ virtutis fulgor aliis consilium, aliis etiam cerebrum eripuerit. Appropinquabant tandem Polonorum copiæ conspicua arma, insignes equos, luxuriosos apparatus ostentantes, illaque ingentia castra, orbem diceres debellatura si tu ex illo abesses, signis quaquauersum fulgentibus ambitiose promouebant. putabat ventosa natio se totas Suecorum acies vno arrogantiæ suæ flatu vltra Lappo-

nes & Pyreneum amoturam. Non contemnebas exercitum victoriis inclytum, ſed neque ipſorum multitudine terrebaris. conſiderabas fortiſſimos in caſtris illorum viros, verum & lixarum calonumque, indigeſtam multitudinem numerabas hoſpitibus non hoſtibus metuendam & ſibimetipſis oneroſam. Ergo laboranti Meuæ, inimica ſpectante legione & fruſtra prohibere conante in ſubſidium venire exiguo milite non timuiſti. Credo ad rumorem nominis tui perſonæque conſpectum exercitatiſſimum illum exercitũ ſtupor obruit, vt præ admiratione non aduerteret quam te pauci, quam ſe multi comitarentur. Procedebant iam re infecta hoſtium agmina, quos obſidionem Meuenſem ſoluere ferrea grandinatione compuleras, ipſe dum velitarentur, nullum præſtantis Ducis & fortiſsimi militis officio prætermiſſo, occurſabas pauentibus, cedentes retinebas, vbi plurimus labor, vnde aliqua ſpes, conſilio, manu, voce aderas, miraculum hoſti, exemplum tuis. Quam animoſum tunc militem tuum cernere erat cum tantæ multitudinis robur incolumis euaſiſſet. neque tu tamen ideo remiſsius agere, verum diligenter cauere, necubi hoſti opportunus fieres, nunc vrbes agroſque vaſtare, prædas agere pergebas, tuis animum, hoſtibus terrorem augere, nunc eoſdem infeſtare, rurſus in caſtra regredi nunc metum ſimulare, inſtanti cedere, nunc ipſe inſtare, mox te occiſum ſpargere vt ſocordius agentem in incepto detineres, mox pacis mentionẽ facere, vt prouiſis quæ tempus monebat paratior eſſes, non pugnandi copiam non quieſcendi facere, ita belli modo, modo pacis mora Polonos ludebas. Inſidebat apprime menti grauior illa tui parentis olim in Liuonia clades Mauritianique præcepti memineras, perraro cum hoc hoſte collatis ſignis dimicandum eſſe, niſi cum vel neceſsitas cogeret vel vocaret occaſio. Aduerteras ipſorum potentiam tantum primo impetu formidandam eſſe, vbi

ſe, vbi moram pati didiciſſent, velut animalia quædam amiſſo aculeo torpentia facile tuis artibus ſuis vitiis caſuram.

Nempe dum denegato campo colligendum primo peditatum ocioſi ipſorum equites neceſſario expectant, ac inutili contatione ærarium exhauriunt, adueniente tandem peditatu bene præuidiſti ſtipendia equites non prælia petituros. antequã deinde ad tributum inuitentur, vt per homines à ſe legatos conſentiant, ipſaque conuentus celebritate tantundem fere conſumant quantum contribuant, & noua Comitiorũ mora ſibi tributa, militi ſtipendia augeant, ſciebas aliquot menſium laborem futurum. Ita videlicet non vanus aruſpex augurabaris fore, vt populus ille liber, & præ cæteris (ſi diis placet) gentibus in libertate ad libertatem natus, ſua etiam libertate labaſceret. Pridem nimirum Poloni (liceat illos pauliſper alloqui) vera rerum vocabula amiſiſtis, & nouo Calepino quod alii ſtultitiam, vos libertatem dicitis, iniuriamque fortitudinem appellatis. O inanem virtutis vmbram. O liberam captiuitatem, libertatem miſerrimam! eo enim iam veſtram nationem deduxiſtis, vt cui prius, etiam qui non oderant, inuidebant; nunc æque inuidis hoſtibusq; reddideritis miſerandam. Crediderim ego Sereniſsime Rex immiſiſſe illum, qui nihil voluit in terris ſempiternum eſſe, hanc triſtiſſimæ libertatis labem inuictæ genti, quæ faceret, vt æterna alias Polonorum arma mortalia eſſent. Sed vt à re, id eſt, à te non abeam.Glorioſe ſane triumphaſti Magne Princeps, dum tantum hoſtem nouarum meliorumque artium rudem & vno robore corporis ferocem non tam per arma quam per ocium & artem viciſti, totumque illud potentiſſimi regni robur medullitus eneruaſti, dum numeroſas illas ex vniuerſa nobilitate viritim centuriatas copias, ex præcoci victoriæ ſpe ſuperbe concepta deiectas, redire in Patriam adulto iam autumno abſque prælio victoria, præda

vidisti, cum econtrariò opimis ditissimæ illius regionis spoliis onustæ naues, & sub pondere prædæ gementes tuum ingressum ouantes operirentur. Non poterit non æternum Suecia meminisse fortunatissimi illius diei, quo post primam in Prussia exactam ęstatem feliciter redux tot illustribus trophæis hosti ereptis Suecorum animos & oculos exhilarasti. nimirum cum illæ pretiosæ ex nauibus merces, ex præsidiis naues, supellex ex domibus, munitio ex arcibus, tormenta ex vallis, aurea ex altaribus vasa, è templis altaria, è turribus horologia, ex monasteriis tecta, campanæ è cæmiteriis, & quidquid denique preciosioris metalli pertinax incolarum auaritia templorum etiam puluerib. insepeliuerat, ingenioso tuo erutum gladio, iucundissimo spectaculo explicabatur. Quæ ego cum considero, & Auum tuum æternæ recordationis Gustauum in memoriam reuoco, aduerto sane quam in te plane illius se decora iuuenta transfuderit, quam non nomine tantum sed præclara etiam indole ipsius te natura signarit. Suediæ ille regno carebat & armis adeptus est; tu habes, & armis defendis. ille cum nouus Rex difficultatibus vndique cingeretur, vt regnum retineret, contracta cum Saxonica Domo affinitate, Germanorum se armis & opibus muniuit tu cum regnum armis asserere, & si adhuc quæstio de nomine & de titulo lis foret, sanguinis pretio regium nomen emere decreuisses, inita cum illustri Brandeburgica Domo opportunissima affinitate, vno matrimonio duos Principes tibi deuinxisti, quorũ alter pugnandi viam aperiret, alter vincendi artem terrore iuuaret.

Auus tuus clarissimam illam Lutheranæ veritatis lucem primus suę genti accendit, tu etiam alienis eam gratiam præstitisti, ille dirutis in sua ditione monasteriis, flagrantissimo scilicet euangelicæ religionis studio eadem vel carceres esse maluit Filiorum quam receptacula ociosorum; tu quod longe præ-

ge præclarius, non iam in tua ſed hoſtili terra haud vno ex loco inutili hoc genere hominum expulſo, ipſorum theſauris tuas facultates locupletaſti. Sed quid ego comparationibus diutius immoror qui maiora ſtrictim percurro? Reuocarant iam pauliſper animos ob abſentiam tuam Poloni, & Pucenſem arcem deditione, illaque tria millia Megapolenſis auxilii celeritate (à te enim edocti iam aliquid profecerant) ſubiugarant. iam titubare nonnihil tui cœperant, & pauidus affinis in metropoli ſua longiſsimis comitiis anxia decreta ſuſpendebat, cum tu nutantes animos iterato in Pruſsiā reditu confirmaſti, & iam pæne recedentem fortunam tua præſentia retinuiſti, perſuadens Soderano, non illi ob Taurominitanam timenda eſſe Minutii fata, vt qui Poloniæ Senatores quantumcunque ſuperbos, venales tamen ſuperioribus iam annis cognouiſſet, & etiamnum, ſi quæ neceſsitas poſtularet, ſe adhuc ſoluendo eſſe aduerteret, chartam hoſti & epiſtolas, arma & commeatum tibi ſubmittenda. Ceſſerat quidem minus feliciter ad viſtulæ diuortium prima oppugnatio munitionum. ſed eo clarior altera fuit, quod & quadringentos deditione acceperis, & galeatum Dantiſcanorum leporem ſolo aſpectu tuo perterritum, cum numeroſo milite fugientem ante prælium ſpectaris. Non opus fortaſſe vobis fuiſſet, Illuſtriſsimi Fœderato Belgico-Germaniæ ordines magnifica & ſumptuoſa legatione à Polonis tantopere pacem ſolicitare, ſi plures, aut hunc ſaltem maturius è diſciplina veſtra Ducem Gedanenſibus tranſmiſiſſetis.

Iam ſecundo Polonorum Regem de ſede ſua in Pruſſiam exciuerat iterati aduentus tui fama, cum perquam opportune illuſtris Hollandorum Legatio, ſi plus tibi non profuit, ſaltem hoſti pugnandi opportunitatem ſubduxit, dum æſtatem Tractatibus exhauſit, atq; plane effecit vt ſubmiſſum inimicis à Cæſare auxilium ad nihil amplius quam

ad

ad magnos sumptus frustra illis fundendos aduocatum videretur. Neque ego hæc ita accipi velim quasi existimem ideo amplissimos ordines suos eo Legatos destinasse. Sincere quidem illi pacem esuriebant, sed maior tuæ glorię sitis fuit, quā vt te tam facile ad pacem flecterent, quam facile suis opibus, armis, milite, animis suffultum ad bellum animarant. Planum id fecisti vel eo ipso tempore quo de conficienda pace & instituendis tractatibus ageretur. nempe sagum magis tibi quam togam placere Nam cum pacificationum præludia traherentur, & de loco, tempore, modo consultaretur, omnemque suam cogitationem vnico Tractationum apparatui hostes donasse collegisses, tu ad omnem rei gerendæ occasionem intendebas. Hinc cum illi hospites Legatos conuiuio exciperent, omniaq; tunc more ipsorum indisposita, temulenta, bacchanaliis quam castris similiora essent; tu tympana pulsare, arma canere, aperiri campum, pandi aciem iussisti. Affluebant relictis scyphis turmatim Poloni, & trina ordinata acie se inuicem aspicientes, perplexas tuorum cohortes accedere propius formidabant; donec tu tandem reuersas binas esse in castra acies contemplatus, neque facile ob transitus difficultatem reuocandas, vltimam solam aggredi magno conatu, inumbrante iam vespera imperasti: satis cito ratus incipi victoriam, vbi prouisum foret ne vincereris. Acre sane & cruentum certamen erat hostiles animos acuente necessitate; atque dum diu inter vtrinque pariter cædentium impetum, cadentium gemitum, occursantium fremitum, armorum tinnitum, hinnitum equorū, gladiorum ictum, fragoremq; hastarum ancipiti marte præliatur, dubitari de victoria potuisset, nisi hostes labentem sub Duce suo equum intuiti obscuram victoriam fuga declarassent Ite nunc Poloni & Gustauum vobis nolle campū dare libere iam asserite. Campum vobis fateor non dedit, qui vos

campis

campis expulit. Ite nunc, & Lithuanos olim à Guſtauo fugatos ridete. Sueci (ſi robur ſpectetur) vtroque Duce ex equis deiecto aliud inter vos diſcrimen non agnouerunt, niſi quod ille fideliore vſus milite ex pugna eques receſſerit, veſter pedes ad caſtra tetenderit. Si tamen de integro iudicium requiritis, Lithuanos longe vobis ſtultiores eſſe eo clarius Sueci deprehenderunt, quo diutius cum illis quam vobiſcum pugnarunt. nihilominus multum ſe illis debere vel eo nomine libenter ſimul fatentur, quod longioribus in Lithuania induciis plurimum Prutenicis armis commodarint, quod Regiomontanum portum occludere ſatis diu prohibuerint, quod Birzam aliasque nonnullas arces Duci de la Gardiæ ob interlabentem aquam incommodas & vltro deſerendas honeſtiſſimo cambio alternarint. Verum omitto aliena ſtultitia tuas laudes onerare & cæptæ narrationis curſum proſequi pergo.

Putabant Poloni te iam gloria ebrium tantæ victoriæ crapulam non niſi longiore ſomno poſſe exhalare atque ſua pigritia tuam virtutem mentientes ſecure quieſcebant; cum tu intempeſta nocte admotis propius tormentis inſperate ipſa caſtra illorum mane pulſare, aggeres ducere, terram ſubfodere cæpiſti. Tantos videlicet ſpiritus heſterna iuſſerat gerere victoria, vt facile videretur hodie exuere caſtris quos heri expuleras campis. & procul dubio id effeciſſes, niſi ab externo milite hoſtium tuis artibus tentatus globum in pectus recepiſſes, cum ipſe nimirum militaribus turmis Regium puluerem ſudoremq; miſceres, cum gregariis laborem æquares, nihilq; à cæteris niſi robore & præſtantia differres.

Hi ſunt tui de potentiſſimo hoſte poſt homines natos feliciſſimi triumphi, hæ illæ victoriæ æterno gloriæ claſſico prædicandæ & ad omnem retro mittendæ poſteritatem. Cuius ego inuicti laboris tui initiumne mirer magis an finem

neſcio ! multum eſt, quod perſeueraſti : magnum eſt. quod
quem initio chalcidem vocitauerant nunc militem fatean-
tur ipſi hoſtes, neque iam niſi de magnitudine tua conque-
rantur. Et reuera non immerito. Nam non pygmæos ali-
quos & gruum triumphatores, ſed Polonos, hoc eſt Turca-
rum victores, Moſcorum debellatores, Tartarorum domi-
tores, dicam amplius : cœli Defenſores viciſti : ita etenim
appellari à maximis Principibus meruerunt, qui Othomani-
cum iugum arcuerunt à ceruice Chriſtianitatis. Non gra-
uate feres ſcio, me hoſtibus tuis veras laudes non detrahere.
Parum enim te laudarem Magne Princeps, niſi te præfer-
rem illi genti, quam præter te vincere nemo vnquam potuit,
quam impunè hactenus nemo laceſſiuit, & quam contemni
poſſe, ſolum tu mortalium omnium primus oſtendiſti. Ibis
ergo per omnium annales eruditorum vberrima gloriæ ma-
teries & militiæ portentum. Decantabit æternum laudes
tuas beata ſuo Principe Suecia, tam effuſis gaudentium &
gratulantium ſtudiis victorias tuas proſecutura, quantis vlla
vnquam res pleniſſima lætitiæ poteſt concelebrari. De-
cantabit & æternum miſerias ſuas hoſtilis Pruſſia, & tot ho-
minum ſanguine cruentata, tot domorum incendiis defor-
mata, tot fortunarum expilatione vexata tamdiuturnam
admirandæ potentiæ tuæ geret memoriam, quam atrox
in omnes poſt annos ſui ſpectaculum
exhibebit.

F I N I S.